

Ad implendum autem præceptum dilectionis proximi, fac est, quod homo pro loco, & tempore commodè det aliqua, aliàs diuites, qui habent possessiones multas, si non dant omnia sua pauperibus, proximos non diligunt sicut se ipsos, quod nullo modo est dicendum; hoc enim tantum est consilij, & Christus, vt ad maiorem perfectionem iuuenem promoueret, hoc subiecit, vt omnia sua relinquens pauperibus daret.

Matth. 19. Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.

Num. 22. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis, erat enim habens multas possessiones.

VERSIONES.

Orig. tract. 8. Vende omnia, quæ possides, in Matth.

Arias. Vende substantiam tuam.

Syriacus. Ito, & vende possessionem tuam, & eroga pauperibus, & futurus est tibi thesaurus in cælis, venique post me.

D. Dorotheus Vnum tibi deest, vt tollas crucem tuam, & sequaris me.

Pagnin. n. 22. Cum audisset hunc sermonem adolescentulus.

Syriacus. Abiit ægrè ferens, habebat enim possessionem multam.

Græcus. Recessit mœrore affectus.

Euthymius. Abiit contristatus.

Arabicus. Habens multa bona.

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me.

Num. 22. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas possessiones.

Luc. 18. n. 22. Quo audito, Iesus ait ei: Adhuc vnum tibi deest: omnino quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.

Num. 23. His ille auditis, contristatus est: quia diues erat valde

EXPOSITIO III.

Vm adolescens dixisset se omnia mandata seruasse. Scribit D. Marcus: Iesus autem intuitus eum, dilexit eum. Tunc Christus Dominus oculorum visu singularem amorem, ac beneuolentiam erga eum denotauit, qua amplectitur, ac diligit obseruantes mandata. Tunc dixit ei Iesus, vt scribit D. Lucas: Adhuc vnum tibi deest. Quæ verba indicant iuuenem non fuisse mentitum. Si vis perfectus esse. Consummatus nempe in omni iustitia, & sanctitate. Hoc non est præceptum Euangelicum, sed consilium. Ideo ait, si vis, non iubeo, sed consulo, & ad altum perfectionis apicem te stimulo, vt notant D. Hilarius, D. Chryostomus, D. Hieronymus, D. Augustinus, D. Paschasius, D. Thomas, D. Bonauentura, scilicet in domum tuam. Cum alter adolescens perit facultatem eundi domum suam, vt parentem suum sepeliat, negat ei Christus dicens: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos, Matth. 8. num. 22. Huic verò dat licentiam pro elemosynis faciendis, in tanta æstimatione est apud Deum elemosyna, vt propriæ parentum sepultura videatur præferenda.

Vende, absque coniunctione, vade vende. Coniunctionis omissio magnam emphasim habet, vt denotaretur, quod in operibus charitatis nulla sit mora faciendâ, sed vbi domum attingeris, vende, & da. Vende, magno animo, ac contemptu rerum temporalium. Quæ habes. D. Marcus, & Lucas scribunt: Omnia quæcumque habes, vende. Et Syriacus vertit, possessionem tuam. Vniuersa enim tua, nil tibi retineas. Vende, & ex pretio habito da pauperibus. Non ait, da cognatis, & amicis diuitibus; quia, vt inquit D. Remigius, hoc est affectus amoris naturalis, quo facultates tuas à te non abdicas, sed quasi asseruandas tuis tradis. Et habebis thesaurum in cælo. Non enim tuas opes perdis, sed eas melius tibi colligis, ac recondis. Feneratur Domino, qui miseretur pauperis. Proverb. 19. num. 17. Iactura substantiæ terrena calorum opes emuntur, vt ait D. Hilarius. Veni sequere me, cum paupertate, & rerum contemptu. D. Hieronymus ad Rustic. Christum nudum nudus sequere.

Ponit hic Dominus tria præcipua consilia Euangelica, quæ Christi amore omnes Religiosi suis tribus votis sequuntur. Primum consilium continentiæ, ac castitatis. num. 12. Sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum calorum. Secundum paupertatis. Vende quæ habes, & da pauperibus. Tertium obedientiæ. Veni sequere me. Obedi nempe mihi, meisque mandatis, meamque obedientiam vsque ad mortem, sequere, & imitare. Vide D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 8.

Cum audisset autem adolescens verbum. Seu, vt habet Syriacus, sermonem istum. Non irrisit sermonem, aut calumniatus est, seu obmurmurauit, vt faciebant frequenter Pharisei, iste enim candido, ac simplici animo discendi, ac obtemperandi accessit. Audiens autem à se diuitias esse abiciendas territus est rei difficultate, & quia ei promptitudini, qua venerat, non cohæretet; ideo verecundia affectus, nec vnum verbum respondit. Vnde fortè ob sui leuitatem dicitur adolescens, in quo

Indaicum populum significatum intelligit. Diuus Chryostomus homil. 33. in Matth. Indaicus, ait, populus erat adolescens, non astate, sed leuitate: moribus immaturus non annis. Quando accessit, vocauit bonum Magistrum. Magister bone. Sic aliorum mos est, quod sæpe alios laudibus euehant, in adulatione extorqueant, quæ ipsi desiderant, at vbi euentus illorum votis non respondet, omnino tacent, & amplius nil laudis didiscunt. Abiit tristis. Seu tristis factus, ac mœrens deiecto animo. D. Hieronymus in Catena: Abiit tristis. Hæc est tristitia, qua ducit ad mortem. Qui enim à Christo discedit, tristitia repletur, qui verò est in eius consortio, gaudio exultat. Habens multas possessiones. Ideo tristatur, quia à se possessa audit dimittenda. D. Augustinus epistol. 43. ad Paulinum, & Teratiam: Unde ait, iuuenis iste tristis discessit, nisi quia magnas habebat diuitias? Aliud est enim nolle incorporare, quæ desunt, aliud iam incorporata diuellere: illa enim velut extranea reperiuntur: ista velut membra prædicuntur.

26. Hieron. Solum in Christo latissia.

August. Hilar. Chrylost. Hieron. August. Math. 8. Eleemosyna propria parentum sepultura præferenda.

27. Paulin. Ex voluntaria operatione crescit perfectio operis.

Nazianz. 28. Origen. Difficultas questionis.

29. Origen. Eleemosyna consistitur via ad omnes perfectiones.

30. August. Per elemosynam hominum mundatur, ac incorporatur Christo.

31. Ambros. Pro hac munditie, quam elemosyna præstat, maxime facit D. Ambrosius serm. 31. Ita elemosyna, ait, extinguit peccata, sicut aqua Baptismi gehenna extinguit incendium: ergo elemosyna quodammodo aliud est lauacrum, vt si quis fortè post Baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei, vt iterum elemosyna mundetur. Nota sequentia verba sancti Doctoris: Nisi quod salua fide dixerim: indulgentior est elemosyna, quam lauacrum: lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur; elemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Exaggerat sanctus Pater efficaciam elemosynæ, vt id, quod Baptismus semel præstat, elemosyna sæpe promeretur, & impetret, non tanquam Sacramentum, vt Baptismus, sed dispositiue tantum, prout hominem disponit, ac præparat, vt veniam, ac gratiam assequatur.

Matth. 19. Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.

Num. 24.

26. Hieron. Solum in Christo latissia.

August. Hilar. Chrylost. Hieron. August. Math. 8. Eleemosyna propria parentum sepultura præferenda.

27. Paulin. Ex voluntaria operatione crescit perfectio operis.

Nazianz. 28. Origen. Difficultas questionis.

29. Origen. Eleemosyna consistitur via ad omnes perfectiones.

30. August. Per elemosynam hominum mundatur, ac incorporatur Christo.

31. Ambros. Pro hac munditie, quam elemosyna præstat, maxime facit D. Ambrosius serm. 31. Ita elemosyna, ait, extinguit peccata, sicut aqua Baptismi gehenna extinguit incendium: ergo elemosyna quodammodo aliud est lauacrum, vt si quis fortè post Baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei, vt iterum elemosyna mundetur. Nota sequentia verba sancti Doctoris: Nisi quod salua fide dixerim: indulgentior est elemosyna, quam lauacrum: lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur; elemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Exaggerat sanctus Pater efficaciam elemosynæ, vt id, quod Baptismus semel præstat, elemosyna sæpe promeretur, & impetret, non tanquam Sacramentum, vt Baptismus, sed dispositiue tantum, prout hominem disponit, ac præparat, vt veniam, ac gratiam assequatur.

Matth. 19. Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.

Num. 24.

Num. 24. Et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum caelorum.

VERSIONES.

D. Hilarius Difficile diuitem venturum in regnum caelorum.
 Can. 19.
 D. Chrysostr. Difficile diuites intrabuunt. homil. 64.
 S. Gaudentius Quam difficile, qui pecunias habent intrare in regnum caelorum.
 homil. de villico.
 Syriacus. Rursum vero dico vobis: facilius est camelum ingredi per foramen acus, quam diuitem ingredi in regnum Dei.

Luc. Burgens. Leuiores laboris est camelum, &c.
 ex Graco.

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. num. 23. Et circumspectus Iesus, ait discipulis suis, quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.

Num. 24. Discipuli autem obstupescerant in verbis eius: at Iesus respondens ait illis: filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire.

Num. 25. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei.

Luc. 18. n. 24. Videns autem Iesus illum tristem factum, dixit: quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.

Num. 25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum.

EXPOSITIO IV.

92. **I**DENVS Iesus iuuenem tristem, ut scribit D. Lucas ex eius tristitia occasione accepta, dixit discipulis suis: *Dives difficile intrabit in regnum caelorum*: quia diuitiarum cupiditas radix est omnium malorum, ut testatur Apostolus 1. Timoth. 6. n. 10. Ex qua oriuntur furta, rapinae, & lites; earumque possessio fomentum est omnium iniquitatum, superbiae, gulae, luxuriae, ac aliorum vitiorum. Vnde D. Augustinus lib. 83. quaest. 36. appellat retentionem bonorum venenum virtutis, nutrimentum malo-

rum. Ut etiam lib. 7. de Ciuitate cap. 4. D. Gregorius lib. 2. moral. cap. 27.

33. *Et iterum dico vobis*. Id, quod dixerat modo, magis amplificat, & durius repetit, tanquam si diceret: Superius proposui difficile esse diuitem saluari, nunc addo, quod *facilius est camelum per foramen acus transire*, hoc erat vulgare proverbium apud Magistros Iudaeos ad rem difficilem, vel impossibilem significandam; quam diuitem intrare in regnum caelorum. Illo ergo communi, ac vulgari proverbio, exaggeratione, ac hyperbolica locutione explicat Dominus, quam difficile sit, diuites saluari, ut hac sententia Magnatus seculi deterreantur, quae sunt Dei cogitent, & quae sunt charitatis in proximos exhibeant. Quod magis explico sequenti quaest.

QUESTIO V.

Explicatur hac Domini sententia: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum caelorum.

34. **V**ALDE diuersimode auctores nomen camelum, sicut & foramen acus interpretantur. Primo. Cum nomen Graecum hic positum sit aequiuocum, & significet tam funem nauticum, quo ligantur naues; & etiam animal vulgare camelum dictum; ideo aliqui, ut Testantur Theophylactus, & Euthymius, quod camelus in praesenti significat crassum funem, quo Nautae vtuntur ad proiciendas ancoras. Alij, ut Glossa, & Magister historiae Ecclesiasticae cap. 101. Albertus Magnus dicunt in Ierusalem fuisse portam quandam paruum, quae acus dicebatur, per quam cameli cum oneribus non poterant intrare, & ideo necesse erat exonerari, ut ingrederentur, & hoc commentum non displicuit Caietano.

35. Pro explicatione quaestiones tria notanda sunt. Primo hic significari animal grande, ac altum, & gibbosum, quod vulgare camelus appellatur, est communis sententia. Ita D. August. lib. 2. de quaest. Euangel. cap. 47. D. Gregorius lib. 35. moral. cap. 11. Et hic Origenes. S. Hilarius, D. Chrysostomus, D. Paschasius, S. Thom. & alij communititer. Erat vulgare proverbium apud Hebraeos ad significandam rem difficillimam, ac impossibilem dicere: *facilius transibit camelus per foramen acus*, quam talis res fiat, & hoc proverbio vtuntur etiam Thalmudistae, ut testatur Caninius in nominibus Hebraicis Noui Testamenti. Secundo. Emmanuel Sa, & Lucas Burgens. foramen acus interpretantur, vel quod habet acus in fine, vel quod facit acus cuspide. Tertiò. Ut recte notatur D. Remigius, Albertus Magnus, S. Thom. D. Bonauent. Carthusianus, Abulens. quaest. 167 in fine, per diuites intelliguntur illi in praesenti, qui multo tempore amant suas diuitias, in eisque confident, ac in illis collocant suam spem, de his loquitur Christus Dominus iuxta Marc. citatus, num. 24. ait suis discipulis: *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei intrare, facilius est camelum*, &c. Nam diuites illi, qui habent diuitias, & eas non amant, nec in illis confident, possunt intrare in regnum caelorum, & sunt valde laudabiles, de illis dicitur Ecclesiast. 31. num. 8.

36. **Primò** respondeo ad quaestionem cum communi sententia Patrum, in praesenti explicat Dominus hoc communi proverbio, *facilius camelus intrabit*, &c. Quam difficile sit diuitem intrare in regnum caelorum. Dixerat enim ipse supra: *Ardua est via, quae ducit ad vitam*, Matth. 7. n. 14. Modo angustias huius viae, nobis ante oculos obicit, admonens, quod nullus illuc est intraturus, nisi à saecularium rerum sarcina exoneretur, sicut enim foramen acus non est capax cameli propter nimiam sui angustiam, & propter grandem illius molem, ac tumorem. Ita quoque via, quae ducit ad vitam, non capit diuitem propter sui angustiam, & propter huius tumorem. Ut ergo diues ingrediat, ait Euthym. *Oportet omnem repellere tumorem, iuxta Apostolum, & attenuari per voluntariam paupertatem*. S. Maxim. homil. in festo S. Michaelis: *Quisquis ergo, ait, honoribus inflatus fuerit, & auribus thesauris dilatatus, tanquam onustum, & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul enim vis se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens repercusso lumine retrorsum redire cogitur*. Ex quo admonet S. Sixtus lib. de diuitiis: *Lustrari diues, ait, ut pauper ingredi contendat, quo opulentus intrare non poterat*. Nam ut ait S. Hilarius Can. 29. in Matth. *Grave onus innoentia subit incrementis opum occupata*.

37. **Itaque** in textu facilius est camelum per foramen acus transire, &c. hoc non indicat impossibilitatem, sed nimiam difficultatem, ut diues ingrediat in caelum, si quis verò his non contentus instet, quod dicitur in textu: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem*, &c. Quod denotat quandam impossibilitatem. Respondetur cum D. Thom. hic, & Abulens. q. 168. Quod camelus non possit intrare per foramen acus, hoc est secundum leges naturae; quod autem diues, qui amat diuitias, in eisque confidit, cum sit in peccato mortali secundum leges diuinae iustitiae non potest intrare in regnum caelorum; facilius autem est, ut omnis natura subuertatur, quam quod diuina iustitia immutetur. Deus enim fidelis est in promissis suis, & se ipsum negare non potest, 2. Timoth. 2. num. 13. At interueniente Dei manu, cuiusque gratia, qua ex peccatore homo conuertitur, & fit iustus, tunc expedite intrat, & aduolat in caelum. De quo infra in hoc cap. num. 44.

38. **Secundò** moraliter. Camelus non valens intrare per foramen acus significat diuites superbos, ac tumidos, in quorum dorso incumbunt laxae lataeque sarcinae, quae tantum sunt ad commodum aliorum, ipsi quoque camelis non sunt ad vsum, sed tantum ad impedimentum, ne valeant intrare per angustam portam caeli, ipsaque caelestia dona accipere. D. Augustinus serm. 33. de tempore, de hoc adolescenti pertractans, sic ait: *Vtique qui dicebat, quid boni faciam, vitam eternam desiderabat, sed plus amabat, quod tenebat; vidit Dominus occupatas manus, dare vult, sed non habet, ubi ponat, occupatae sunt manus accipientium, dicit enim tibi Dominus. Vnde vende omnia da pauperibus, & pone illa in celo, quia in terra inpediunt*.

39. **Tertiò**. Auctor Imperfectus homil. 33. tenet, quod camelus significat Gentiles; acus verò *Syluestra in Euang. Tom. IV.*

Christum Dominum, sic ait ipse: *Gentium anime assimilatae sunt tortuosos camelis, in quibus erat gibbus idololatriae: quia cognitio Dei cretatio est animalium. Acus autem est filius Dei: cuius prima pars subtilis est secundum diuinitatem, alia vero grossior secundum incarnationem eius. Tota autem reuera est, & nullam habet deflexionem, per cuius vulnus passionis gentes ingressae sunt in vitam eternam, hac acu consuta est immortalitatis tunica: ipsa est acus, quae spiritui consuit carnem. Hac acus Iudaicum populum iunxit, & gentium: hac autem amicitiam Angelorum, & hominum copulauit: facilius est tamen gentes transire per foramen acus, quam diuites Iudaeos intrare in regnum caelorum. Hac ille, & satis eruditè.*

40. **Non** omittam tamen, quae in eadem cogitatione eleganter hic D. Paschasius lib. 8. in Matth. scribit: *Acus, ait, geminam formam habet, priorem, acutissimam, per quam cuncta perforat, ac penetrat, & aliam vero retro, quae perforata est, & post se filia trahit. Vnde nec immerito per acumen ipse Christus intelligitur perforatus in Passione: per quod vique foramen omnia ad se, & post se trahit. Cuius diuinitas penetrat omnia, pertingit ad omnia: cuius humanitas, quia passa est, trahit post se omnia, per cuius vulnus passionis gentes ingressae sunt in vitam eternam. Et diuinitas eius ac si prior pars cuncta nostra penetrat, & perlustrat interiora; a quo consuta est immortalitatis tunica, quae olim concisa fuerat per Adam. Quomodo diuites, qui designantur per camelum, ut supra dixi, intrabunt per foramen acus, ac in caelum? Acus Christum adumbrat, in cuius ineffabili composito natura diuina omnia penetrat, & pertingit; humanitas verò tot foramina habet, quot vulnera in passione suscepit; qui autem sic se extenuat, ac componit, ut eius vulneribus adhæreat, ac in his foraminibus petrae recipiatur, instar filij in acus foramen deductus, omnia securissimè tenet, ad quae diuinitas illa acus intrat. Dic quaeso, quo ingreditur acus, & non ingreditur filium eius foramini immisissum? Sic nullo ibit Dei filius, quo non eat ille, qui eius sacratissimis vulneribus adhæret.*

41. **Cum** audit Thomas Christum surrexisse à mortuis, ait: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam*, Ioan. 20. num. 25. Cum nuntiatur Thomae gloriosa Christi Resurrectionis vita, pro signo, ac testimonio tanti triumphi non quaerit videre quatuor dotes gloriosi corporis, illius scilicet claritatem, penetrabilitatem, &c. sed tantum lethalia vulnera, quae potius mortis, quam vitae indices erant. D. Chrysologus serm. 84. *Quasi ista, ait, Thomas, non solum cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum. Certè propheta magis, quam cunctatio fuit. Pro testimonio magnificae Resurrectionis, non dotes, sed vulnera quaerit, ex halitu doctrinae Christi prophetae spiritu agnouit, quod magis ipsa vulnera, quam dotes corporis gloriosi glorias indicabant, ac proinde pro efficaciori, & maiori testimonio non dotes, sed vulnera corporis Christi petit.*

42. **Matth. 19.** Auditis autem his discipuli mirabantur valde dicentes: *Quis ergo poterit saluus esse?*

43. **Num. 26.** Aspiciens autem Iesus dixit illis: *apud homines* E E C hoc

Imperfect.

Acus Christi, camelus gentes denotat.

40. Paschas.

Qui Christi vulneribus adhæret, ad omnia caelestia bona transit.

41. Ioan. 20.

Chrysol.

Christi vulnera omnia bonum indicant.